



**Defensio apologetica pro Simone Lewio JC. adversus  
criminationes Antonii Mathaei A.F.A.N. in suo, De  
probationibus libello, irritu acerbitalis suae conamine, in eum  
emissas**

<https://hdl.handle.net/1874/21209>

DEFENSIO  
APOLOGETICA

P R O

SIMONE LEWIO. JC.

*Adversus Criminationes*

ANTONII MATHÆI.

A. F. A. N.

*In suo, De Probationibus Libello, irrito,  
acerbitatis suæ conamine, in  
eum emissas.*



LUGD BATAVOR.  
Apud JOHANNEM à GELDER.

M D C LXXVIII.

I N  
**CENSURÆ FORENSIS  
 THEORETICO-PRACTICÆ**

*PARTEM II.*

**SIMONIS LEWII**

Aliaque, ejusdem scripta

*Adversus criminationes*

**ANTONII MATHÆI**

A. F. A. N.

**PRÆFATIO APOLOGETICA**  
 Repeticæ prælectionis.

**P**Rodiit tandem, amice Lector, Censuræ Forensis nostræ pars altera, hactenus desiderata, communem procedendi modum, tam in criminalibus quam civilibus causis con-

A 2 ti-

## 4 D E F E N S I O

tinens. De cuius utilitate ac tractandi necessitate, nemini non satis cognita, nihil præfari constitueram. Res ipsa loquitur. Quemadmodum enim in omnibus rebus humanis potissimum est id, quod in actione consistit, ita in ipsa juris scientia parum est jus, quod circa personas, & res versatur, cognoscere, nisi & ea quæ circa actiones versantur, probe dignoscantur. In quibus etiam mores variant: ita ut hi, qui in fori Romani praxi, & jure scripto hac in parte se bene exercuerunt, quum in suum cujusque forum venerunt, & quum de prosequendo jure agendum est, nihil magis sibi deesse animadvertant, quam procedendi modum ac stylum. Qui, (quum solo fere usu, nulla certa institutione investigari debeat, & cum barbaris loquendi formulis obscuretur, ex profundo, & ex nudis causas agentium formulis hinc inde descriptis, & proiectiorum in-

## APOLOGETICA. 5

vidia, maximo cum tironum incommodo, suppressis hanc prosequendi juris praxin magno temporis & studiorum dispendio addiscere hactenus coacti fuere.

Horum serviens utilitati GUILHELMUS ALPHENUS, inveteratus juris forensis practicus, *Supplicationum, Mandatorum, & Conclusionum* in Hollandiæ Curia usitatarum formulas congeffit, & publici juris fecit. Quædam etiam ad cognoscendum Curiæ stylum, & procedendi modum in cīvilibus causis haud inutilia, abhinc plus quam sexaginta annis hinc inde collegit PAULUS MERULA, vir Ceberrimus. Qui, quo minus reliqua, quorum schemata tantum exstant, addiderit, fatorum malignitas nobis invidit. Eodem fere tempore aut paulo post RUMBOLDI HOGERBEETS, dum viveret, causarum publicarum Urbis & Civitatis Leydensis Syndicūs & defensoris, prodidit processus

## 6 D E F E N S I O

coram utraque Hollandiæ Curia instituendi Schema Synopticum. Secundo deinde, supra vicesimum, ab hinc anno, utriusque Curiæ praxeos præliminarem exhibuit Isagogen **GUILHELMUS GROTIUS**, inter causarum patronos facile princeps. Quorum utinam brevitatem, tironibus quodammodo obscuram, & inexplicabilem, ad ulteriora, & planiora, ut unus & alter proposuerat, perduxissent! Interea sexto-decimo ab hinc anno **PETRUS VROMANS**, utriusque Curiæ advocatus, admodum mihi familiaris, *de foro competenti* tractatum perutilem publici juris fecit. In criminalibus, quod mirum, unicus **PETRUS BORT**, optime etiam de Hollandicis feudis meritus, *De receptis aut non receptis Appellationibus* omnem materiam secundum hodiernam praxin exhibuit, quibus & alia ejusdem farinæ superaddere instituerat, quorum quædam prælo subjecta, aut

# A P O L O G E T I C A .

7

aut jam subjicienda avide exspectantur. Præter eos nemo eorum , qui , quam maxime in procedendi modo sunt exercitati , de juris in judicio prosequendi modo ad scribendum quicquam animum appulit. Sic ut his , quibus nulla frequentandæ Curiæ facta fuerit copia aut facultas , ex Galliæ , Germaniæ , Brabantia & Flandriæ scriptoribus procedendi modum & praxin addiscere fuerit necesse , quorum tamen fori & judicii constituendi consuetudines , ut ut in multis convenire videantur , in pluribus tamen à nostris differre certum est. Quod me impulit , ne tanquam claudus futor domi desidentio ætatem agerem , huic tandem operi , cui parti exornandæ me præ aliis plurimum expertis , imparem lubens meritoque agnoscò , manum admovere. Quod quamvis mihi postquam mea me ab utriusque Hollandiæ Curiæ frequentiori exercitio

A 4

alio

## 8 D E F E N S I O

alio avocarunt , difficile ac grave factu fuerit , attamen , quum leve fiat ,

*Quod bene fertur onus.*

& difficile quæque factu facilia sint , si quando æquo , ac constanti animo accipientur , promissis meis ultrius deesse nec volui nec potui .

Quæ quum in temerarii ausus vi-  
tium incurfura , neque ab invidorum  
morfū immunia fore animadvertisam ,  
paucis eos , quales quales sint , præ-  
fando alloqui , & me ab imminentib-  
us calumniis in antecessum vindica-  
re , operæ pretium duxi . Quod tamen  
minime his dictum velim , qui post  
satis matura positivi juris studia cau-  
fas perorandi , & juris in judicio pro-  
sequendi summum nacti fuerunt u-  
sum , quorum judicio me meaque  
lubens meritoque submitto , iisque  
de meis plenum judicium deferre  
haud erubesco , legant , perlegant &  
quæ minus placent , amice , ut inge-  
nuos

## APOLOGETICO. 9

nuos decet, moneant, urant, secent, resecant, & si videatur, funditus extirpent. Sed quum mihi cum duorum generum vitilitigatoribus potissimum decertandum videatur: Alterum eorum, qui quum ab ipsis trivialibus & sicco, ut ajunt, pede, cruda atque immatura juris studia ad forum protrusent, omnem vitam in litigantium fordibus consumunt, & nihil prius, nihil antiquius habent, quam per fas, nefasque plena marsupia replere, & grandes pecuniae acervos accumulare malunt, quam Reipublicæ bono quicquam præclarum præstare: Qui ut plurimum omnem Juris scientiam in nudis procedendi formulis consistere prædicant. Quibus vel mediocriter imbuti, aliis palmam se prærepturos sibi persuadent, quibus satis superque responsum videtur in prolegomenis prioris *Censuræ nostræ* partis. Alterum vero eorum, qui quum Ju-

## 10 DEFENSIO

ris scripti inter suos paedagogiam  
exerceant, suis institutis se ita ad-  
strictos tenent, ut extra ea nemini-  
nem sapere potent. Et hi statuta &  
gentium mores suis etiam scriptis  
intermiscent, & contra eos, qui in  
applicando Juris ad sua quæque sub-  
jecta studio, & in prosequendo eo  
quod sibi jure debetur, secundum  
mores, constitutiones, & consuetu-  
dines non tantum exterarum regio-  
num, sed potissimum patriæ nostræ  
pro variis tribunalium institutis con-  
fenserint, calumniose, & perquam  
maligne invehi non erubescunt.  
Quod ut vivo rem exemplo com-  
monstrem, ne forte in alios bene  
meritos hæc retorqueantur, percipe-  
re non poteram, quid portenti ale-  
ret novissimi *De probationibus* libelli  
auctor, *Antonius Mathæus A. F. A.*  
*N.* Quod cum ejusdem ille tracta-  
tus sub prælo sudaret, typographos,  
& bibliopolas suos sub fidei tessera,

&amp;

## APOLOGETICO. 11

& maxima sua indignatione inhibuerit , ne mihi aliqua scripti ejus pagina innotesceret, aut quoquam modo exponeretur : nisi quod ex rumore sparso ad aures pervenerit meas, illum mihi adversus tractatum , *De Processu Criminali* , in tironum gratiam Belgico idiomate nuperrime editum , adversarium futurum , ne forte ego interim , antequam illum *De Probationibus* tractatum ad umbilicum perduxisset , eum respondendo prævenirem. Neque tamen quum libellus iste ante triduum in manus nostras pervenisset , primo intuitu in animum inducere potui , ut ad ea, quæ in prædicto suo tractatu adversus me acerbo plus satis , & inhumano potius quam humano effudisset stomacho , quicquam respondere dignarer : ut qui Stoica animi firmitate istiusmodi argutiarum ineptias concoquere , & silentio præterire soleam. Præterea , quod eorum semper,

per, quæ ab eo scripta legi, æquus fuerim æstimator, neque unquam nisi bene, ne dicam optime, de ejus fama, atque honore fuerim meritus, amice eum potius compellare decreveram, & sedulo monere, ut definat maledicere maledicta ne noscat sua.

Verum enim vero, quum, ex crassa & intolerabili praxeos circa procedendi modum ignorantia, cuiusdam decreti, De Jure creditorum, in pecuniis ex subhaftatis, ex causa judicati bonis, redactis, quamdiu ipsi creditori traditæ non sint, ab Hollandiæ suprema Curia quondam interpositi, & à me allegati, fidem, suo *De Probationibus* libello palam traducat, quasi revera interpositum non sit, eo insuper infixo aculeo, ut ex eo de auctoritate, ac fide aliarum mearum allegationum dijudicari possit. Ac deinde adversus suum ipsius satis elaboratum, ac prudens

dens consilium in eadem causa datum , nostræ utriusque sententiæ , nimis quam acerbe , & præter decorum contradicat. Ut forte rei judicatæ , & his qui in eadem causa alter quam nobis , secundum ea quæ proponebantur , summa ratione , atque lege visum fuerat , judicarunt , gratificaretur : ut prorsus ea silen-  
tio præterirem , à me ipso impetra-  
renon potui.

Quæ ut singula breviter & per-  
spicue perstringam. Primo notan-  
dum , omnibus omnino Hollandiæ  
Curiarum cultoribus practicis , vilif-  
simis etiam forensibus cognitissi-  
mum esse: Alia esse mandata inhibitoria , quibus Curia ad supplican-  
tis petitionem , ejus adversarium , aliquid facere , aut fieri , sub poena  
vetat , aut prohibet , nulla reassum-  
pta facti narrantis informatione , ad-  
dicto certo die , quo contradicens  
ad impetrantis petitionem respon-  
su-

surus compareat , ut causa cognita , an bene vel male impetratum judicetur , vulgo **Mandament pœnaal**: Alia quæ prævio Juris & facti examine absolute conceduntur , quæ ut plurimum ipsarum suppliciōnum margini adscribi , iisque quorum inrereſt tradi , neque semper Graphei prothocollo inseri aut inscribi solent , vulgo **Appointement**. Quæ quum non caperet insignis noſter practicus , jam tum quum , ex aliorum relatu , viderit hujus decreti authenticon in ipſo forte Curiæ Graphæo ad manus non eſſe , ejusque copia requiri non potuerit , tam imprudenter , ne dicam impudenter dicto ſuo tractatu. *Pag. 131.* adverſus meam , (non ex auditu alieno excerptam , ſed ejus cauſæ , cuius ipfemēt patrocinium præſtit) obſervationem evomere non erubuit , *nihil indignius eſſe , quam Lectori fucum facere , objecta ſententia , quæ nec lata , nec*

un-

*unquaus , quamvis serio quæsita , in rerum natura fuit. Quis hæc mortaliūm , ut ut lenissimus , æquo feret animo , ab eo , qui , quantum ad praxin , neque litteras , neque natare didicit. Ecce quam procedat argumentum illud : Quod à Senatu actum certo affirmatur , in Graphei archivis ab amanuensibus notatum reperiri non potuit , Ergo falsum. Optima fane concludendi ratio.*

Doceatur à me , Probationum scriptor , ejusmodi negantium adversus affirmantes testimonia nihil concludere , neque iis aliquid contra verosimiliter affirmantes in Jure deferri. Quemadmodum , ut & alio rem exemplo demonstrem , sæpius usu venire solet , in multorum conflictu , quo alii se hunc aut illum vulnerantem , aut vulneratum vidisse affirmant , alii etiam in eodem conflictu præsentes se vidisse negant , quo casu affirmantium testimonio omni-

no standum. Quam certe quæstionem omniscius rerum observatarum scriptor , in suo Probationum tractatu singulari , prætermittere non debebat.

Sed ut facti propositi casum secundum rei veritatem exponam ipse, qui ejus causam meo patrocinio tunc temporis sustinui , & quid sit apertum fiat. In memoria habeo , in hac causa Commissarios fuisse GEORGIUM RATALLERUM Doublet , & JOANNEM HEEMSKERK , tunc temporis ejusdem Supremæ Curiæ rotulæ Adfessores , qui post petitionis rejectionem , ex nostra instantia , eandem reassumere dignati fuere , & post relationem in Senatum, ALBERTO ERASMO petitori in pecuniis ex subhaftatione redactis & per executorem in Curiæ Grapheo confignatis , ipsi vero creditori exequenti nondum traditis , jus suum salvum decreverunt ; quod utrum decre-

cretum in ipso Curiæ Graphœo exstet nec ne , aut per amanuensium incuriam ejus copia haberi non posfit , rei veritatem non mutat. Ut & alias usu venisse memini in iis , quæ ex observationibus aliorum causarum Patronorum , fide dignorum , per manus nobis traditæ. Cæterum si cuius intersit ejus decreti copiam habere , adeat CORNELIUM SCHARPENBRANT , tunc temporis ejusdem causæ Procuratorem , quem rei gestæ vivum testem appello. Nunquid ex hisce satis apertum puto : Hunc aliis faceſſendi negotii cupidum zycophantam ſe talem præſtare , ut qui vapulando , dum è sudanti corpopre vapor exeat , emendetur , & pœnas luat calumniatore mendacissimo dignas ?

Nec minus impudenter ille Juris Romani Aristarchus contra ſuum ipsius conſilium , in eadem cauſa , non ex tempore , ſed per quam præmedi-

B tate,

tate , omnibus & facti propositi & legum ac rationum circumstantiis elaboratum , dicto tractatu suo *num.* 66. præter , ne dicam , contra lègem committit : propter venenum alicui datus , sed irrito conatu , ut in quolibet graviori crimine , voluntatem etiam effectu non secuto , ordinaria ejusdem delicti pœna puniri . Quod & contra omnem fidem ex communione DD. uno ore , ut ille falso prædicat , idem sentientium , nobis obtrudere audet impudentissime . Cujus contrarium dicto suo consilio in eadem causa dato , nostris & aliorum moribus servari multis probaverat argumentis .

Cujus ut , vacillantis , & minime sibi constantis , judicii varietatem re ipsa commonstrem , ejusdem comprobatorii consilii exemplar , totidem verbis hisce inseri , etiam in rem nostram fore existimavi , ne forte inficietur ea , quæ

dudum fuerat confessus. Quod ita se habet :

A. gecondemneert sijnde in swaarder arrest , soo heeft B. sijn huysvrouw ( gedreygt sijnde van nog swaarder straffe ende publyk schandaal van haar man A. te willen aan doen ) geresloveert om haar man ende haar selve te verlossen , ende heeft haer mah koeken toe gestlert vermenigt met Rotte-kruyt , maar vermits dien voorsz. A. evenwel na het eeten van de voorsz. koeken noch in't leven gebleven is , wort gevraagt off de voorsz. B. van de voorsz. daat met de dood gestraft kan werden.

„ Dunckt (onder correctie) dat al-  
 „ hoewel na de Romeynsche Wetten  
 „ in alle atroce delicten de wille ofte  
 „ conatus (schoon geen effect gehad  
 „ heeft) gestraft wert met de dood ,  
 „ ende in specie van fenijn l. I. §. 1.  
 „ l. 3. pr. & §. 5. & l. 14, D. ad L. Cor-

## 20 D E F E N S I O

,, nel. de Sicar. & §. 5. Inst. de publ. ju-  
,, dic. soo is nog<sup>t</sup>ans de generale Con-  
,, suetud. ofte Costuyme contrarie,die  
,, de voorsz. Wetten heeft geappro-  
,, geert , gelijk sulx getuygen Matth.  
,, Wesembec. in parat. num. 16. & seq.  
,, DD. ad L. Cornel. de Sicar. & Didac.  
,, Covarruv. in clement. si furios. 2. part  
,, relect. in pr. num. 6, Jul. Clar. in pract.  
,, crimin. quæst. 92. Jacob. Menoch.  
,, de arbitr. indic. cap. 360. Andr. Gail  
,, lib. I. de pac. public. cap. 14. num. 3. 4.  
,, & seq. Anton. Gomez. tom. 3. re-  
,, solut. cap. 3. num. 30. Joachim. Myn-  
,, sing Cent. 3. observ. 9. Bartholom. Ta-  
,, gus in tract. crim. part. 7. num. 12. &  
,, part. 19. num. 11. Solus conatus non or-  
,, dinaria , sed extra ordinaria pœna pu-  
,, nitur , quamvis deventum fuerit ad a-  
,, etum facto proximum. Andr. Ifernia  
,, cap. I. §. si vero de capit. Bald. consil.  
,, 443. incip. Scire oportet. Tagus d. part.  
,, 19. num. 2. Joann. à Sande lib. 5. tit.  
,, 9. defin. 11. Zyp. in Notit. Jur. Belg.  
tit.

## APOLOGETICA. 21

„tit. de l. Jul. Majestat. Farinac. quæst.  
„124. num. 78. & 28. conf. Jure Roma-  
„no (inquit Ant. Matth. num. 11. tit. 5.  
„ad lib. 48. D. de Sicar. cap. 3.) non mo-  
„do communis Schola verum etiam usus  
„fori recessit, atque in toto fere orbe co-  
„natus cædis non ultimo supplicio, sed ex-  
„tra ordinem mitius punitur, ut certatim  
„interpretes notarunt. Dese generale  
„Costuyme bestaat ook in goede re-  
„denen: Want anders soude geen on-  
„derscheyt sijn tusschen een delict,  
„dat sijn effect gehadt heeft, 't welk  
„seer absurd soude sijn. Ann. Robert.  
„Rer. Judic. lib. 1. cap. 6. pag. 88. Het  
„delict 't welk geen volkommen effect  
„gehadt heeft moet gepresumeert  
„werden, dat wt geen absoluyte wille  
„geschied is. l. perspic. 11. D. de pænis.  
„Debemus (inquit Ant. Matth. d. loc.)  
„providentiam divinam & misericordiam  
„revereri. quæ cum conatu vulnerantis  
„potenter obstitit utriusq; vitæ tam vul-  
„nerantis quam valuerati consulere vo-

## 22 D E F E N S I O

„*luiſſe videtur.* Waarom ook de heylige Schriftuur plaatſe *Exod. 21. v.*  
„14. (buyten datſe een eygen Wet is  
„voor de Joden) ſoo by de Theolo-  
„ganten verftaan wert, als de dood  
„na de *conatus* gevolgت is, ende wt  
„moet wille tegen ſijnen naaften ge-  
„handelt is, om hem met liſt te doo-  
„den. Die een mensch gedoodet  
„heeft ſal met de dood geſtrraft wer-  
„den *Exod. 21. vers. 12. 18. 19. Num.*  
„35. vers. 16. & seq. *Deut. 19. vers. 4.*  
„*Quod etiam bene obſervavit. Idem*  
„*Matth. d. loc.* De voorſz. vrouwe B,  
„ſchijnt meer wt commiferatie ende  
„om de gedreygde publique ſchande  
„te ontgaan, meer wt vreeſe ende  
„krankheyt der herſſenen, als wt  
„boosheyt off voorbedagte moetwil-  
„ligheyt haar feyt begaan te hebben:  
„Waarom ook haar man A. (gelijk  
„ik onderregeſt ben) des te faciler ſijn  
„voorſz. vrouwe B. gepardonneert  
„heeft, 't welk in deſe ook de pœne,  
off

## APOLOGETICA. 23

„ off straffe moet faciliteren , dewijle  
„ de voorsz. A. mede *principalis pars*  
„ *laesa est* , die sijn injurie heeft ge-  
„ remitteert. *l. interpret. pen. D. de pæn.*  
„ Den Regter moet *in casu dubio* meer  
„ genegen wesen tot commiseratie off  
„ sagtmoedigheyt , als tot rigeur off  
„ hardigheyt. *Matth. 5. 11. 21. l. 8.*  
„ *Cod. de Judic. l. 9. l. 90. D. de Reg. Jur.*

Aldus geadviseert den 23. Sep-  
temb. 1676. In Utrecht.

*A. van WESEL.*

*CYPRIANUS REGNERI*

*ab OOSTERGA.*

*U. J. D. Prof.*

„ **G**esien by my ondergesz. de ca-  
„ fus positie als mede het advijs  
„ aan de andere zijde van defen staan-  
„ de, en op alles gelet. Dunckt (onder  
„ correctie) als in den selven, my over

## 24 D E F E N S I O

„ fulx daar mede confirmerende, endat  
„ om redenen daar inne aangeroert.  
„ Daar by voegende dat in't min-  
„ ste niet kan obsteren de confessie van  
„ B. want schoon genomen, *quod con-*  
„ *stet de lolo & de animo occidendi solus*  
„ *tamen conatus, aut solus animus occi-*  
„ *dendi pœnæ ordinariæ hodie locum non*  
„ *facit*: Ende is fulx kennelijk & ex-  
„ *tra omnem controversiam*, wt de no-  
„ toire pratique van dese en alle na-  
„ buyrige Landen, gelijk fulx ook ten  
„ overvloet & *satis, abundeque* in't vo-  
„ renstaande advijs is aangewesen.

„ Sal daar alleen by doen een no-  
„ table passagie wt het *Land-Regt van*  
„ *de Veluwe*, cap. 3. §. 13. alwaar niet  
„ alleen *pœna ordinaria conatus non ple-*  
„ *citur, sed ne is quidem, qui dolo & ani-*  
„ *mo occidendi yemant doodelijk ge-*  
„ *wont heeft, soo de gewonde daar*  
„ *van komt te revalesceren, ea pœna*  
„ *punitur. Wanneer eenen, seyt den text,*  
„ *moordadig off opsettelyk yemant dood-*  
„ *lijk*

## APOLOGETICA. 25

, lijk gewont hadde , sulx dat hy sij-  
, nes levens in gevaar sta , sal men  
, den dader , soo verre hy te bekomen  
, is in verseekering doen nemen , off ver-  
, burgen laten , tot dat men sal sien off die  
, gewonde man aan die quetsuur sal mogen  
, genesen worden ende opkomen off niet :  
, Ende soo verre die gequetste by het leven  
, blijft , sal die dader staan tot erkentenis-  
, des gerigts.

, Tot erkentenis des Gerigts ] dat  
, is arbitrio judicis. Off nu , dat arbi-  
, trium judicis sou kunnen geexten-  
, deert worden usque ad mortem sive ad  
, pœnam sanguinis : daar op soo ant-  
, woort Goris op de selve passagie Gloss.  
, 2. expresselijk van Neen. arg. I. An-  
, nianus 47. ff. de Obligat. & act. l. 5. &  
, ult. ff. de pœnis. en seyt daar noch by  
, dat in simili fere casu de Schepenen  
, van Nimwegen ipso consulente alsoo  
, verstaan hebbēn anno 1631.

, Hoe veel te meer dan moet dit  
, plaats hebben in casu de quo quæritur

A 5                   daar

„daar de voorgemelte koeken haar  
 „operatie niet gedaan hebben , en A.  
 „*nec vulneratus nec læsus*, maar ten vol-  
 „len gesont ende wel te pas is , *Quic-*  
 „*quid sit moribus non tantum Belgii sed*  
 „*& omnium regnorum ut dicit.* Gudelin.  
 „lib. 5. de *Jur. noviss.* cap. 17. num. 6. &  
 „10. in eo *dissessum est à lege Romana*  
 „*quod conatus occidendi hodie tanquam*  
 „*homicidium non amplius punitur. Even-*  
 „*tus spectatur , non conatus duntaxat.*  
 „Adde Rebus. *ad const. Reg.* tom. I. in  
 „*proœm. gloss. 5. num. 28. & seq. Jul.*  
 „*Clar. quæst. 83. num. 11. vers. & hæc*  
 „*opinio. Cacheran. decis. pedemont. 19.*  
 „*vers. in contrarium. Vinn. ad Pecc. de*  
 „*Re naut. ad tit. de inc. ruin. & naufrag.*  
 „*I. 3. §. Senatus Consultum lit. c. Resp.*  
 „*Holl. 2. conf. 328. Goris ad conf. Ve-*  
 „*lav. cap. 4. §. 1. gloss. 6.*

Aldus geadviseert binnen Leyden den 5. Octob. 1676.

geteyckent

ANTON. MATTHEUS.

Quæ

Quæ an & quomodo convenient cum his , quæ pro contraria sententia dicto tractatu suo *cap. 1.* super eodem casu passim , & maxime *num. 66.* adduxerit , & quam illa inter se sibi constent , æquo Lectori judicandum relinquo . Modo hanc contradictionem manifestam , quam præterire non debui , explicando ostenderim . Quod , quum dicto suo consilio notabilem casum *Statuti Velavienfis cap. 3. §. 13.* adduxerit , quo conatum ordinaria legis pœna plecti non tantum simpliciter negat , sed ut nec is quidem qui dolo , & animo occidendi aliquem letaliter vulneravit , si modo reconvaluerit vulneratus , ordinaria sed mitiori pœna , ex judicis arbitrio puniri debere , admodum bene interpretatur , & illud judicis arbitrium an ad mortem sive sanguinis pœnam extendi possit ? argumento satis prægnanti negative concludat : Qua fronte dicto tractatu suo *pag. 47* di-

## 28 D E F E N S I O

directe contrarium aliis argumentis adstruere ausus fuerit, & quidem talibus, quæ non tantum iis, quæ dicto suo consilio directe contrariantur, sed quæ adversus ipsius statuti verba adducta manifestam continent contradictionem. Primo quod dictum statutum de cæde præmiditata intelligi neget, quum tamen ipsa statuti verba *Moordadelijk ofte opsettelyk,* (aut me fugit proprii sermonis intellectus) haud aliter quam de cæde præmeditata, & de alium occidendi animo intelligi possint. Deinde quod dicto tractatu suo, illa verba, *Tot erkentenis des Gerichts,* ita intelligi velit, ut judici liberum sit etiam ultimum supplicium imponere, & ad gladium damnare, quæ justa & infallibili dicti statuti interpretatione prædicto consilio suo ad ordinariam legis & mortis, sive sanguinis pœnam extendi firmiter negaverit. Di boni! Quid tandem cum hoc scripturiendi Cacoëte?

Ad

## A POLOGETICA. 29

Ad Ergastulum , aut Medicorum vaporarium : ut evapulato sudore mentis compos fiat , aut ad dilucida perducatur intervalla , ut forte

*De meliore luto fingat præcordia Ti-*  
*(tan.*

A priori sententia sua ex causa recedere haud indecorum , & in præcipuis etiam Jurisconsultis ingenuitatis candorem arguit , ut si quando ponderatis omnibus rerum ac circumstantiarum argumentis , causam aut ipsi penitus inspexerint , aut ab aliis rectius fuerint edocti , sententiam mutent , aut aliorum sententiis subscribant. Et Pomponii Jurisconsulti exemplo , de quo in l. 20. ff. de fideicommiss. libertat. discendi cupiditate , quæ sola vivendi ratio optima , adducti , etiam sextuagenarii , Juliani sententiæ memores sint. Qui dixisse fertur , *etsi alterum pedem in tumulto haberem , non pigeret aliquid addiscere.*

Quæ-

Quænam autem fuerit ratio , quæ eum impulerit suo *Probationum* libello suam hanc sententiam immutare , nullam dedit , neque dabit unquam . Quiham sint illi DD. qui cum eo contrarium sentiant , ex dicto illius tractatu non liquet , quos contrarium nobiscum sentientes certatim , & longo agmine enumeratos , videat in iis quæ in hanc rem indissolubili distinctione ; non legum tantum , sed & omnium DD. auctoritate *Processu Criminali* nostro adduxerim . Quæ si non capiat , inspiciat hanc secundam *Censuræ Forensis* partem nostram . Num quicquam indignius , ut sua in eum scommata re torqueam , ne dicam impudentius : Hac in parte Lectori fucum facere , oblata communi uno ore ita sentientium opinione , quam nulla auctoritate probare potest , sed quæ à quam plurimis , si non omnibus , contrarium sentientibus , unanimiter rejicitur ?

Quid

Quid quod nec satis intelligere videtur, qui sint veri *venifici*, aut intelligere noluit, quum huic suæ opinioni confirmandæ, quum aliter non possit, *Drentiæ & Omlandiorum* statuta adducat: Quæ tamen secundum alia *Gelriæ*, & *Transsalaniæ* statuta ejusdem argumenti, (quæ hic studio prætermittere videtur) non nisi de maleficiis, & incantatoribus loquuntur, qui magicis artibus elementa turbant, vitam insontium labefactare student, & manibus accitis ventilare audent, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos. De quibus agitur in l. 5. 6. 7. *Cod. de Malefic. & Mathemat.* nobis *Tovenaars*/ qui proprie dicti *venifici* dicuntur, minime vero de his qui alias Veneno dato necare volunt, de quibus nostra quæstio est, qui etiam hoc sensu *venifici* dicuntur, quod veneno malo utantur. De quibus in l. 1. ff. ad l. *Corn. de Sicar.* En quo

quo tandem calumniandi & altercandi libido hominem perducat; qui ut vindictæ suæ aliquem colorem adferat , vera pro falsis , & falsa pro veris nobis obtrudere audet. Neque in eo subsistit , sed ut quo modo maledicendi animum expleat suum , ubi in ipsis rerum argumentis deficit , in verborum sphalmatis & erroribus Typographicis argutatur , ut ubi viginti duo millia , pro duo millia numeri Arabici geminatione , 22. pro 2. contra textus fidem irrepserit: quum toties à me iisdem legis verbis pro duobus librorum millibus id ipsum adductum sciat. Sed hæc & si quæ plura , nulla sunt responsione digna.

Cæterum puritatem Latinitatis culpat : verum

*Loripidem reetus derideat, Æthiopem  
(albus.)*

Quod ad verborum spalmata , si ad ejus ipsius scripta, animum adyterere

ve-

velimus , etiam in his , quæ , ipsius autographo vitio dari possunt , nulla ejusdem tractatus pagina à mendis , ut ne dicam meris barbarismis immunis erit : sed cum iis luctari infra bene compositi ingenii dignitatem puto. De Latini sermonis puritate hoc tantum addam , juxta me omnes homunculi perfictæ frontis audaciam quam plurimum mirari : Quod is , qui nihil minus quam Latine sonat , alios qui bene , id est ornate loquendi artem nunquam professi sunt , in his quæ etiam secundum artem proferuntur , carpere & morfus dente Theonino rodere audeat.

*Verba valent usū , quæ nunc cecide-*

*(re , cadentque*

*Quæ nunc sunt in honore vocabula fi-*

*(volet usus.*

Tribuitur autem legibus & Jurisconsultis laus proprii sermonis , ad quam se assuefacere debet Jurisconsultus , ne relicta statim initio textus pro-

C prie-

priestate à Commentariis pendere  
necessè sit , neque ignari simus me-  
moriæ antiquitatis , rerum , & con-  
suetudinum fori. Audiamus quæso  
Latini sermonis , & Juridicorum ver-  
borum puritatem Critici nostri , &  
Latinæ facundiæ Censoris , cuius  
unicum tantum aut alterum experi-  
mentum suffecerit , ut de cæteris  
judicetur. Et quidem primo occur-  
rit barbarismus intolerabilis , in ver-  
bo *Pensionarius* , quo promiscue uti-  
tur , & ut Belgismum totidem ver-  
bis exprimat , Politici Regiminis de-  
fensorem , quem uno verbo Syndic-  
cum appellari , omnibus notum est ,  
noviter invento vocabulo *Confilia-*  
*rium Pensionarium* vocat , ut eo indi-  
cet hunc Belgico idiomate , sed æque  
barbaro , vocari *Gaad-Pensionaris*.  
Nonne hoc sapit antiquitatem , Latini  
sermonis puritatem , & veram Ju-  
ris verborum significationem ? Non-  
ne hoc è myrothecio **O P T I M I**  
**M A-**

MAXIMI adulatoris, fugit me ratio, Oratoris inquietam, profluxisse dicemus? Miror ac demiror, quod hic noster Græcus, qui ut Græcam linguam se didicisse ostentet, & sua omnia Latina Græcis idiomatibus ita passim conspurcat, ut diversi coloris mendicantium pannoso centonii similia sint, huic officio Græco-Latinum vocabulum omnibus usitatum, feligere prætermiserit, & nesciverit, *Syndicum* pro Civium Advocato, & Juris publici defensore, quasi in causam publicam incumbente, communiter sumi. Cujus apud Plutarchum & Demosthenem crebra mentio. Hac dignitate ARI-STIDES decoratus ab Atheniensibus *Syndicus* creatus est, ut communem causam omnium nomine defendere. Græca quandoque Latinis intermiscere quodammodo moris est, fateor, & nonnunquam etiam viri docti Græca constructione in Latini-

## 36 D E F E N S I O

nis usi sunt , quem Græcismum vocant, sed perparce , & in his solum ubi res aliter expediri non potuit, præter quæ, Græca Latinis intermixta apud probatos auctores , non invenies. Non ita CICERO, CÆSAR, LIVIUS , QUINTILIANUS , PLINIUS, aliique rerum Romanarum Scriptores sunt locuti , neque apud JULIANUM, PAULUM aliosve veteres Jurisconsultos quid simile reperies, nisi in his quorum ipsa res aliunde petita, alio nomine explicari commode non potuerit. Unde multo satius alia sua Græca Latinis intermixta, ad solam , ut ille putat , ornate loquendi ostentationem , veteribus tamen incognitam , prætermittere , & hoc solo vocabulo Græco omnibus usitato , à tanto *Pensionarii* barbarismo, & quod magis à *Consiliarii Pensionarii* Belgismo inaudito , sibi cavere potuisset. Aut si Latine loqui maluisset, Codicis tituli *De Defensoribus*

# APOLOGETICA. 37

*bus Civitatum inspectio*, ejusdem officii denominationem eum docere potuisset. Quod mirum, ab eo non fuisse animadversum, ut qui se tam promptum in titulorum Juris Corporis congerie prædicet, quod & titulos alio nomine allegatos, alio etiam nomine quam ipse Codex continet, scribi animadverterit, eosque, quibus ejusmodi transpositiones non statim inciderint, aut qui, aliud agentes, altius inquirere prætermiserint, scabroso statim scommate exceperit, is nec ipsum titulum Codicis totidem verbis rem ipsam explicantem invenire potuerit.

Si artificiosum ejus scribendi modum ac stylum spectes, certe:

*Humanæ capiti cervicem pictor e-*  
*(quinam*

*Jungere si velit, - - - -*

*- - - - Ut turpiter atrum*

*Q. 3*

*D&*

## 38 DEFENSIO

*Definat in pisces mulier formosa  
Superne:  
Speciatum admissi risum teneatis a-  
(mici?)*

Cujus unicum , quod ad me pertinet , exemplum videatur , quam eleganter , quam artificiose , quam methodice concinnaverit illa , quæ tractatu suo *Probationum Cap. 2. num. 77.* ubi de Appellationibus convictorum reorum agit , adversum me plus satis calumniose & mendacissime adduxerit , quam eleganter illa pertractandæ suæ materiæ cohærent : & sic de cæteris omnibus . Plura non addo .

Si ejusdem opusculi & ipsius materiæ pertractatæ meum quæras judicium , ut me contineam , cum hujus loci non sit de eo judicare , neque temporis angustia permittat omnia ea pervolvere , judicium meum suspendere satius duxi , usque dum ex professo ad singula responderem

dere occasio detur. Ex his tamen, quæ, dum hæc in Typothetarum gratiam, ne ipsum hoc opus jam ad umbilicum perductum amplius remoretur, contrahere fuerim coactus, per transitum evolvi, vereor, ne cum Institutionum commento suo, ut ne maculatior addatur spurcitia, in vulgus deferatur:

*Vendendum tbus & odores,*

*Et piper & quicquid chartis ami-*  
*(citur ineptis.*

aut ut ipse de se ipso in eadem commenti præfatione auguratur, *vivus adhuc in latrinam deferri videat.*

De tractandi ejus methodo, & novissimi Juris Commentarii ordine, quam bene cohærent, & ad subiecta quæque sua applicentur illa, quæ, ut quam multæ lectionis sit, ostentet, ex variorum statutis, constitutionibus & moribus hinc inde collegit, & in Commentariis suis totidem verbis satis operose descripsit, meum

## 40 D E F E N S I O

non est judicare. Ut ne ejusdem subjecti, quo studia mea hactenus direxi, quædam quasi philautia, sequius quam debeat, de iis sentire videatur. Illud tamen ego, ut ejusdem verbis utar, prætermittere non potui, nec debui, quid hominem impulerit me suo commentariolo *ad lib.* I. tit.

20. *Institution.* *De Attiliano tutore num. 5.* falsissime, & quam mendacissime fœdi illius erroris insimulare, quod ad *Consuetud. Rhenoland. part. 2. cap. 1.* tutoris dationem, quam Prætor olim & Rhenolandiæ Nobiles habuere, ad merum Imperium referre non dubitaverim. Quum *dict. conf. art. XVIII.* (quem locum, si modo unquam inspexit, abusive sub *conf. part. 2. cap. 1.* adduxit) de Imperio aut mero aut mixto nulla omnino mentio. Deceperunt forte eum verba illa : *De Hooge Vierschaar van het geheele Landschap,* id est *Prætorium,* si *ve supremum totius Diæcesis Tribunal,* qua-

quasi supremum Tribunal præter merum Imperium nullam aliam haberet jurisdictionem , cui tamen jure meritoque , & quidem satis distincte inter cætera ejusdem tribunalis præminentia jura , ibidem tutoris datio attribuitur , quæ quomodo intelligenda , neminem vel puerulum decennem latere potest , in quo potissimum incredibilem hominis stupiditatem cognoscite. Ubi nunc fœdus ille error ? ubi merum Imperium ? ubi tutoris datio Imperio mero adscripta , à calumnioso nostro sugillatore eo nomine reprehensa ? Repetat Cavillator ineptissimus juris Romani principia sua , ut doceatur probe distinguere inter Imperium merum & mixtum , sive inter Imperium proprie dictum , & inter jurisdictionem ejusque species , quibus etiam tutoris dationem adscribi , nemo unquam negavit . Et penitus inspiciat l. 3. ff. de juris

*dicit.* ut fideliter eam cum meis con-  
ferat. Cæterum quomodo moribus  
nostris Imperium merum à jurisdi-  
ctione distinguatur , & quæ ejus sint  
species videat & discat si velit ex *Cen-*  
*sura Forensi nostra part. 2. lib. 1. cap. 3.*

Prixin ejus quod attinet , ut di-  
cam quod sentio , vere affirmare au-  
sim, multæ sit licet lectionis , & in-  
fallibilis memoriae, exigui tamen eum  
esse judicii, ut quum ad vera Juris ad  
sua quæque subjecta , & propositi  
casus applicationem deventum sit ,  
ita suis observationum mæandris in-  
volutus sit , ut de jure quærentibus  
nihil minus respondeat , quam quod  
ad veram Jurisprudentiæ prixin per-  
tinere quoquam modo videatur. Te-  
statur non modo vacillans & nus-  
quam sibi constans consilium & ju-  
dicum suum de veneno porrecto ,  
quod forte non nocuerit , anne in  
eo nudus conatus , & voluntas sine  
effectu subsecuto ordinaria facti pœ-

na sit punienda? (Quam materiam ita confuse tractat ut vix dijudicari possit, quid sentiat ipse.) Sed & paſſim in aliis quibuscunque tanta hominis altercandi, & cavillandi velut innata prædominatur libido, ut ab omnibus, etiam à se ipſo diſſentiat: Prout non ita pridem in fideicommissi quæſtione, de qua inter cæteros ipſemet fui consultus, præter testatoris voluntatem, ſatis expressam, pro ſubſtitutis remotioribus, adverſus testatoris iſtitutos heredes ſuos proximiores, ſub eſtenti conditio- ne vocatos, conſulendo, contra om- nium in eadem cauſa conſultorum, (etiam aliorum hujus Academiæ Ju- ridicæ facultatis Proforum) opi- nionem, de errore ſuo ſatis admoni- tis, ſolus reſpondit. Quæ qualia- cunque ſua, ut ut defendat, nihil ad me. Hoc tantum amice moneo, ut præſcripto Imperatoris Valentiniani in l. 6. *Cod. de Postulando*, edoceatur,

## 44 D E F E N S I O

tur, ne ultra quam causæ poscat utilitas in licentiam conviciandi, aut maledicendi temeritatem prorumpat, agat quod res est, & temperet ab injuriis, ut ne si adeo procax fuerit, ut non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis atque existimationis suæ patiatur diminutionem. Hæc sunt, amice Lector, quæ præter instituti rationem, quam ex ipso opere, ejusque indicibus, tam capitum & titulorum, quam rerum & verborum quivis facile colligere potest, pro defensione mea adversus maledicentis criminationes omnino dicenda, operæ pretium duxi. Quibus hoc tantum addam: quam argute summus ille praticus, aut nesciverit, aut simulare maluerit (ut mihi cap. I. num. 84, hoc quasi stigma inureret) Romanorum fustium iætus nostris virgarum cæsionibus, & stigmatum inustionibus, iis quandoque addi solitis, commode comparari, easque pœnis capitalibus

an-

annumerari posse. Quo tamen nihil frequentius apud nostros , ut quibus poenas capitales dupliciter sumi constans est doctrina. Quarum aliæ sunt poenæ majores & mere capitales, quibus ultimum supplicium denotatur, aliæ poenæ minores, quibus quælibet poenæ corporis afflictivæ annumerantur. Quæ si minus capiat, iterum repetat prima Juris Romani elementa ac principia, ut & cum dupondiis suis distinguere discat inter capitum diminutionem maximam , medium , & minimam. Neque minori hallucinatione ea quæ pro vera distinctione inter Parricidium proprie dictum , quod inter parentes & liberos , & illud quod inter collaterales aliosque consanguineos committitur , itemque inter Sicariatum , & simplex homicidium , & inter varios poenarum legis Corneliæ gradus , dicto Processu Criminali cap. 8. & Censur. Forens. part. 2. lib. 2. cap. 13. adduxi , suo , de pro-

*bationibus libello cap. I. num. 63. & seqq.* non uno in loco sibi ipsi directe contrarius passim confundit, ubi illegitima noviterque inventa distinctione, probare conatur, quælibet graviora crimina, inter quæ tum venenum porrigentis commissum, etiam effectu non secuto, pro solo judicis arbitrio ordinaria legis; & facti commissi pœna esse punienda. Paulo lenius, non ideo tamen magis Practice, *dicto tractatu cap. I. num. 17. & seqq.* ex Frisiæ, Omlandorum, Ultrajetensium, Dayentriensium & Tielensis districtus Statutis, perperam adductis, actorem probationibus destitutum, pro negocii qualitate reo Jusjurandum deferre posse, ut aut jurare aut cedere debeat, contra omnium fidem, affirmat. Non animadvertisit rerum judicatarum observator, & juris novissimi perscrutator, nullum unquam in Praxi receptum fuisse Jusjurandum voluntarium, à par-

parte parti delatum, aut deferendum, quod non etiam simul sit judiciale, & ab arbitrio & judicis prævio decreto dependeat, ut is post semiplenam aut ulteriorem probationem, super oblato juramento, aut si oblatum non sit, ex officio, alterutri partium juramentum præstandum imponat: ut tum prius locus sit *l. 38. ff. de Jurejurando.* Qui, auctore nihil, aut minus quam semiplene probante, reum absolvere debet secundum *l. 4. Cod. de Edendo.* Quod discat si dignetur, ex hac *Censur. Forens. 2. part. lib. I. cap. 29. num. 32.* Et hoc lex Visigothorum dicto num. 7. cap. I. tract. *sui adducta, eum docere potuisset.* Ad hæc miror crassam ejus practici juris ignorantiam, *cap. I. num. 18.* palam prostitutam; ubi in criminalibus, pro quibus pecuniarie agitur, indistincte, eoque argumento, in eo qui stupri arguitur, & ubi de fraudato vectigali quæstio est, juramentum deferri posse

se affirmat , quum tamen in crimini-  
bus , & in his omnibus causis , in qui-  
bus perjurii metus , aut suspicio in-  
tercedit , eodem loco , Jurisjurandi  
delationem nequaquam admitten-  
dam, pro fundamento adduxerit ipse,  
*arg. l. 1. ff. de bon. eorum qui ante sen-  
tentiam. & l. 1. §. 3. ff. de calumniator.*  
Prout etiam jure Canonico à Ponti-  
fice expresse vetitum notat per *cap.*  
*22. quæst. 2.* Ecquis autem major per-  
jurii suspicio , quam in defraudati ve-  
tigalis causis ? Ecquis unquam , si  
non in stupri , adulterii aut similis  
commissi accusationibus , perjurii  
metus ? Nescivit vir bonus , aut ei in  
mentem non venit , hasce causas , li-  
cet plerumque propter ejusmodi  
commissa pecuniarie , & civiliter agi  
videatur , non tantum facti infamiam ,  
sed & famæ gravissimam maculam  
ipsi reo inferre , quam ut evitet pro-  
cul omni dubio quivis facillime ad  
suscipiendum juramentum induce-  
tur,

tur, ut se innocentem juret.

Quomodo autem defendet, eum non censeri alieno nomine emisse, qui quum quid emit, alterius nomen in instrumento apponi jussit, nisi & ipsa re subsecuta sit traditio; Ut dicto suo tractatu *cap. 2. De Probat.* profiteretur, non video. Nisi forte AIMONIS CRAVETTÆ autoritate fuerit seductus, quem, utrum inspexerit ipse, an vero, ut grus gruem, eum secutus sit, valde dubito. Neque in parente, qui quid emit, & nomen filii in instrumento apponi jussit, alia ratio est, qui filii nomine emisse, aut ei donasse certo presumitur, nisi contrarium probetur. Si ipsius *legis 18. Cod. famili. erciscundæ*, cuius argumento utitur, verba inspexisset, contrarium verius esse ex ipso textu proculdubio animadvertisset. Sciat, aut etiamnum addiscat Juris Antecessor, omnes Codicis leges, ad casus propositos esse latas. Casus autem hujus

## 50 D E F E N S I O

legis manifestus est: Filiæ nomine pa-  
ter rem comparaverat, quo defun-  
cto, erciscundæ familiæ, & heredita-  
tis dividundæ quæstio erat. Eidem fi-  
liæ præcipuas adjudicari, sæpe te-  
scriptum: iisque rescriptis, si quis  
patri successerit, quem nomine suo  
quid comparasse dicit, eum adversus  
fororem, apud Provinciæ præsidem  
(si res sit integra) uti posse, *Divi*  
*Fratres responderunt. Si res sit inte-*  
*gra, id est, si non postea contrarium*  
*eius probetur judicium, uti habent,*  
initii legis verba. En tibi Ante-  
cessoris nostri praxin juridicam, & ve-  
ram juris ad subjecta sua applicatio-  
nem! Decepit forte eum summarium  
ipsi legi præter mentem legislatorum  
adscriptum, ex quo descripsisse vide-  
tur, id, quod pater unius filii vel filiæ  
nomine emit, & ei tradidit, illi ad-  
judicari debere: de qua tamen tradi-  
tione in illa ipsa lege nulla mentio.  
Illud me à præceptore meo Arn.

Vin-

# APOLOGETICA. 51

Vinnio in explicatione ad tit. *Instit.*  
*De literarum Obligatione.* didicisse  
memini, quod illa Chirographi con-  
dictio , quæ intra biennium debitori  
adversus chirographum emissum  
exceptionem tribuit , qua onus  
probandi pecuniam numeratam fui-  
sse in ipsum creditorem transfert, ne-  
que rationi consentanea , neque  
moribus usitata sit. Prout late Cen-  
sur. Forens. lib. 1. part. 1. lib. 4.  
tit. 14. num. 6. & cap. 18. num. 2.  
Quod , si forte practici nostri obser-  
vationem effugiat , illud tamen scire  
debebat , jus singulare quod in ali-  
cujus personæ vel rei favorem intro-  
ductum est, ad consequentiam trahi  
minime posse , adeoque in erciscun-  
dæ aut dividundæ hereditatis quæ-  
stione , parentis defuncti confessioni  
omnino standum esse , nisi contra-  
rium ejus judicium probetur. Inspi-  
ciat ipsam leg. 18. *Cod. famil. ercif-  
cund.* Quam non legit , aut certe (ut

## 52 DEFENSIO

de meis , circa errorem typographi-  
cum citatae leg. 2. §. 1. & l. 3. §. 1.  
*Cod. de veteri Jure enucleando*, irreve-  
renter judicat) ipse , cum eam lege-  
ret , aliud agens , aut somnulentus  
admodum legit , neque perspicillo  
usus est. Expergefactus paululum ut  
videtur , num. 18. proxime sequenti,  
studiorum sumptus regulariter in  
collationem venire negavit. arg. l.  
50. ff. famil. erciscund. Prout commu-  
niori sententia receptum esse proba-  
vimus Censura Forensi nostra part. I.  
lib. 3. cap. 13. num. 16. Quo sane  
fundamento non tantum ex ratio-  
nis identitate , sed & ex ipsa leg.  
18. *Cod. familiæ erciscundæ*. patrem ,  
qui rem emit , quam filii nomine  
comparasse testatur , si non post-  
ea contrarium ejus judicium pro-  
betur , illud donandi animo feci-  
se , judicasse debuisse. Profundo  
iterum somno correptus dict. cap. 2.  
num. 74. meam sententiam se refu-  
tare

tare scribit. Quod argumentum repeatat si dignetur, in qua sententiæ meæ parte me reprehendere velit, quod ex iis quæ scribit, ut ingenuæ fatear colligere non possum. Nisi forte negare velit, reum, qui tolerato tormentorum cruciatu, factum, quod à se commissum idoneis testibus probatur, pertinaciter inficiatur, ordinaria facti pœna damnari posse. Quod à plerisque controverti solet: nostris tamen & aliorum moribus, non obstante tali denegatione, si plenissimæ adfuerint probationes, reum ordinaria facti pœna puniri Frisiæ, Hollandiæ, & aliorum judicatis, jure meritoque confirmavi. Utrum vero à tali judicato appellare possit reus: à nostro probationum authore perperam negatum. Quod non tantum ex Rhenolandia, sed & generali totius Hollandiæ consuetudinibus, atque *Ordd. placito*, Anni 1591. satis superque me demonstrasse puto: hujus

con-

confuetudinis & Holland. Ordd. placiti unicum constituendi fuisse causam, neminem nisi confessum ultimo suppicio condemnari; ne scilicet appellationi, cui sola confessio derogat, locus sit. Vide notata ad Rhenolandiae Confuetudines *art. 1.* *num. 7.* & Censur. Forens. *part. 2.* *lib. 2. cap. 17. num. 2. 3. & seq.* Ubi regulariter ab omnibus inferiorum judicium sententiis ad judicem proxime superiorem etiam in criminalibus causis appellari posse, excepta sola ea quæ ex propria reorum confessione lata est, satis distincte probavi.

Neque prætermittendus est error, quo dicto c. 2. n. 9. commentariensem damnari debere putat., propterea quod quis ex carcere effugit; nisi innocentiam suam ipse probet. Quod quum factu difficile sit, quia factum negantis per rerum naturam probatio nulla est l. 23. *Cod. de prob.* eum nequam teneri, nisi dolo, aut culpa ejus

eius id factum probetur: multis probavi Censur. For. part. 2. lib. 2. cap. 4. num. 18. Et ita decisum memini in causa quam ipse Patronus peroravi. Sed ut vela, quæ jam contrahere constitueram, tandem constringam, de cæteris altius non inquiram. Non agam jure summo, quod fortassis obtinerem. Sufficiat, ex ungue leonem cognosci. Vale Amice Lector, & Salve. Ex Musæo meo, Lugduni ad Rhenum Mense Decembri. 1677.

## Errata Typographica.

Pag. 3. lin. 11. pro repeticæ, lege repetitæ. Pag. 4.  
 lin. 22. pro obscuretur, lege obscuretur) Pag. 5.  
 lin. 23. pro Syndicus & defensor, lege Syndici &  
 defensoris. Pag. 17. lin. 14. dele, puto. Pag. 21.  
 lin. 22. pro conatu, lege conatui. & lin. 24. pro  
 valverati, lege vulnerati. Pag. 27. lin. 21. pro  
 Sextuagenarii, lege Septuagenarii. Pag. 32.  
 lin. 21. pro loripidem, legeloripedem &. lin. 23.  
 pro Spalmata, lege Sphalmitata. Pag. 33. lin. 5. de-  
 le morsu. Pag. 84. lin. 11. pro Ecquis, lege Ecqua.  
 Hæc, & quæ plura per absentiam authoris, & Typo-  
 thetarum incuriam, in hisce, aut majori opere  
 nostro, quæ vel diligentissimum fugerent, irre-  
 plicerint, æquus lector corrigat, & boni consulat.

F I N I S.